

2 In excessu opponitur Discordia, quâ homo à confessione & pace debitâ cum aliis colendâ, est alienus.

S C H O L. Hoc in loco sumitur pro habitu morali, quo homo inclinatur ad rixas, seditiones, & pugnas. Auführer vnd Zäncker / Zänkſüchtige sunt. Ei igitur subjicitur litigiositas, Græcè φιλονειχία, & pugnacitas φιλομαχία. Exemplum est in Caino, Gen. 4. v. 8. Korah & sociis, Num. 16. Sub Adriano Imp. prodierunt seditiosi Judæi, duce Bencochab, qui Messiæ titulū sibi sumebat, exitu tristissimo. Interfecta enim sunt quinques centena millia hominum; vide Melanch. in Chronicis. Theodosius Imp. ingenti prælio vicit seditiosos, Arbogastum, qui in fuga sibi mortem concivit, ut Saul, & Eugenium, qui captus fuit, & postea secundūm leges interfectus. Vera est regula: Seditiones nunquam cedunt feliciter. Ortā enim seditione, seditiosi deinde inter se dimicant, ut videre est in historia Alexandri Magni, post cajus obitum regnum miserè distractum est in quatuor partes, ubi continua prælia fuerunt. Atheniensium rempublicam intestinae seditiones labefactarunt. Romanorum bella intestinae semper erant perniciosissima. Thrasybulus post exactos 30 tyrannos, ut omnem tumultuandi occasionem Atheniensibus præcideret, αμυνσίαν sancivit, quæ περιφυλακή est seditionis. Adversus Cretenses seditiosos insurgebant hostes communes, quare depositâ simultate in concordiam redierunt, quam συνέργησμόν dixerunt,

3 Concordiæ in defectu opponitur Ignavia, quâ homo à justa offensione est alienus.

S C H O L. Hæc Ignavia nihil est aliud, quam justæ offensionis metus; ut si quis princeps ad præcavendam & conservandam concordiam hosti permittat bonorum suorum dissipationem. Concordia enim, seu φιλησυχία, non querit pacem indebitam & illegitimam, sed debitam & legitimam, conjunctam cum populi salute. Sic //

D 5